

Confessio

Sanctus Patricius

1. Ego Patricius peccator rusticissimus et minimus omnium fidelium et contemptibilissimus apud plurimos patrem habui Calpornium diaconum filium quendam Potiti presbyteri, qui fuit uico bannauem taburniae; uillulam enim prope habuit, ubi ego capturam dedi. Annorum eram tunc fere sedecim. Deum enim uerum ignorabam et Hiberione in captiuitate adductus sum cum tot milia hominum — secundum merita nostra, quia a Deo recessimus et praecepta eius non custodiimus et sacerdotibus nostris non oboedientes fuimus, qui <nos> nostram salute admonebant: et Dominus induxit super nos iram animationis suae et dispersit nos in gentibus multis etiam usque ad ultimum terrae, ubi nunc paruitas mea esse uidetur inter alienigenas,
2. et ibi Dominus aperuit sensum incredulitatis meae, ut uel sero rememorarem delicta mea et ut conuerterem toto corde ad Dominum Deum meum, qui respexit humilitatem meam et misertus est adolescentiae et ignorantiae meae et custodiuit me antequam scirem eum et antequam saperem uel distinguerem inter bonum et malum et muniuit me et consolatus est me ut pater filium.
3. Unde autem tacere non possum, neque expedit quidem, tanta beneficia et tantam gratiam quam mihi Dominus praestare dignatus est in terra captiuitatis meae; quia haec est retribution nostra, ut post correptionem uel agnitionem Dei exaltare et confiteri mirabilia eius coram omni natione quae est sub omni caelo.
4. Quia non est alius Deus nec umquam fuit nec ante nec erit post haec praeter Deum Patrem ingenitum, sine principio, a quo est omne principium, omnia tenentem, ut didicimus; et huius filium Iesum Christum, quem cum Patre scilicet semper fuisse testamur, ante originem saeculi spiritaliter apud Patrem <et> inenarrabiliter genitum ante omne principium, et per ipsum facta sunt uisibilia et inuisibilia, hominem factum, morte deuicta in caelis ad Patrem receptum, et dedit illi omnem potestatem super omne nomen caelestium et terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur ei quia Dominus et Deus est Iesus Christus, quem credimus et expectamus aduentum ipsius mox futurum, iudex uiuorum atque mortuorum, qui reddet unicuique secundum facta sua; et effudit in nobis habunde Spiritum Sanctum, donum et pignus immortalitatis, qui facit credentes et oboedientes, ut sint filii Dei et coheredes Christi: quem confitemur et adoramus unum Deum in trinitate sacri nominis.
5. Ipse enim dixit per prophetam: Inuoca me in die tribulationis tuae et liberabo te et magnificabis me. Et iterum inquit: Opera autem Dei reuelare et confiteri honorificum est.
6. Tamen etsi in multis imperfectus sum opto fratribus et cognatis meis scire qualitatem meam, ut possint perspicere uotum animae meae.

7. Non ignoro testimonium Domini mei, qui in psalmo testatur: Perdes eos qui loquuntur mendacium. Et iterum inquit: Os quod mentitur occidit animam. Et idem Dominus in euangelio inquit: Uerbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent pro eo rationem in die iudicii.
8. Unde autem uehementer debueram cum timore et tremore metuere hanc sententiam in die illa ubi nemo se poterit subtrahere uel abscondere, sed omnes omnino reddituri sumus rationem etiam minimorum peccatorum ante tribunal Domini Christi.
9. Quapropter olim cogitauit scribere, sed et usque nunc haesitauit; timui enim ne incederem in linguam hominum, quia non didici sicut et ceteri, qui optime itaque iura et sacras litteras utraque pari modo combiberunt et sermones illorum ex infantia numquam mutarunt, sed magis ad perfectum semper addiderunt. Nam sermo et loquela nostra translata est in linguam alienam, sicut facile potest probari ex salua scripturae meae qualiter sum ego in sermonibus instructus atque eruditus, quia, inquit, sapiens per linguam dinoscetur et sensus et scientia et doctrina ueritatis.
10. Sed quid prodest excusatio iuxta ueritatem, praesertim cum praesumptione, quatenus modo ipse adpeto in senectute mea quod in iuuentute non comparauit? Quod obstiterunt peccata mea ut confirmarem quod ante perlegeram. Sed quis me credit etsi dixero quod ante praefatus sum? Adolescens, immo paene puer in uerbis, capturam dedi, antequam scirem quid adpetere uel quid uitare debueram. Unde ergo hodie erubesco et uehementer pertimeo denudare imperitiam meam, quia desertis breuitate sermone explicare nequeo, sicut enim spiritus gestit et animus, et sensus monstrat adfectus.
11. Sed si itaque datum mihi fuisset sicut et ceteris, uerumtamen non silerem propter retributionem, et si forte uidetur apud aliquantos me in hoc praeponere cum mea inscientia et tardiori lingua, sed etiam scriptum est enim: Linguae balbutientes uelociter discent loqui pacem. Quanto magis nos adpetere debemus, qui sumus, inquit, epistola Christi in salutem usque ad ultimum terrae, et si non deserta, sed ratum et fortissimum scripta in cordibus uestris non atramento sed spiritu Dei uiui. Et iterum Spiritus testatur et rusticationem ab Altissimo creatam.
12. Unde ego primus rusticus profuga indoctus scilicet, qui nescio in posterum prouidere, sed illud scio certissime quia utique priusquam humiliarer ego eram uelut lapis qui iacet in luto profundo: et uenit qui potens est et in sua misericordia sustulit me et quidem scilicet sursum adleuauit et collocauit me in summo pariete; et inde fortiter debueram exclamare ad retribuendum quoque aliquid Domino pro tantis beneficiis eius hic et in aeternum, quae mens hominum aestimare non potest.
13. Unde autem ammiramini itaque magni et pusilli qui timetis Deum et uos dominicati rethorici audite et scrutamini. Quis me stultum excitauit de medio eorum qui uidentur esse sapientes et legis periti et potentes in sermone et in omni re, et me quidem, detestabilis huius mundi, prae ceteris inspirauit si talis essem — dummodo autem — ut cum metu et reuerentia et sine querella fideliter prodessem genti ad quam caritas Christi transtulit et donauit me in uita mea, si dignus fuero, denique ut cum humilitate et ueraciter deseruirem illis.

14. In mensura itaque fidei Trinitatis oportet distinguere, sine reprehensione periculi notum facere donum Dei et consolationem aeternam, sine timore fiducialiter Dei nomen ubique expandere, ut etiam post obitum meum exagag^e illas relinquere fratribus et filiis meis quos in Domino ego baptizaui tot milia hominum —
15. et non eram dignus neque talis ut hoc Dominus seruulo suo concederet post aerumnas et tantas moles, post captiuitatem, post annos multos in gentem illam tantam gratiam mihi donaret; quod ego aliquando in iuuentute mea numquam speraui neque cogitaui.
16. Sed postquam Hiberione deueneram — cotidie itaque pecora pascebam et frequens in die orabam — magis ac magis accedebat amor Dei et timor ipsius et fides augebatur et spiritus agebatur, ut in die una usque ad centum orationes et in nocte prope similiter, ut etiam in siluis et monte manebam, et ante lucem excitabar ad orationem per niuem per gelu per pluuiam, et nihil mali sentiebam neque ulla pigritia erat in me — sicut modo uideo, quia tunc spiritus in me feruebat —
17. et ibi scilicet quadam nocte in somno audiui uocem dicentem mihi: ‘Bene ieiunas cito iturus ad patriam tuam’, et iterum post paululum tempus audiui responsum dicentem mihi: ‘Ecce nauis tua parata est’ — et non erat prope, sed forte habebat ducenta milia passus et ibi numquam fueram nec ibi notum quemquam de hominibus habebam — et deinde postmodum conuersus sum in fugam et intermisi hominem cum quo fueram sex annis et ueni in uirtute Dei, qui uiam meam ad bonum dirigebat et nihil metuebam donec perueni ad nauem illam,
18. et illa die qua perueni profecta est nauis de loco suo, et locutus sum ut haberem unde nauigare cum illis et gubernator displicuit illi et acriter cum indignatione respondit: ‘Nequaquam tu nobiscum adpetes ire’, et cum haec audiissem separaui me ab illis ut uenirem ad tegoriotum ubi hospitabam, et in itinere coepi orare et antequam orationem consummare audiui unum ex illis et fortiter exclamabat post me: ‘Ueni cito, quia uocant te homines isti’, et statim ad illos reuersus sum, et coeperunt mihi dicere: ‘Ueni, quia ex fide recipimus te; fac nobiscum amicitiam quo modo uolueris’ — et in illa die itaque reppuli sugere mammellas eorum propter timorem Dei, sed uerumtamen ab illis speraui uenire in fidem Iesu Christi, quia gentes erant — et ob hoc obtinui cum illis, et protinus nauigaui,
19. et post triduum terram cepimus et uiginti octo dies per desertum iter fecimus et cibus defuit illis et fames inualuit super eos, et alio die coepit gubernator mihi dicere: ‘Quid est, Christiane? tu dicis deus tuus magnus et omnipotens est; quare ergo non potes pro nobis orare? quia nos a fame periclitamur; difficile est enim ut aliquem hominem umquam uideamus’. Ego enim confidenter dixi illis: ‘Conuertimini ex fide ex toto corde ad Dominum Deum meum, quia nihil est impossibile illi, ut hodie cibum mittat uobis in uiam uestram usque dum satiamini, quia ubique habundat illi’, et adiuuante Deo ita factum est: ecce grex porcorum in uia ante oculos nostros apparuit, et multos ex illis interfecerunt et ibi duas noctes manserunt et bene refecti et canes eorum repleti sunt, quia multi ex illis defecerunt et secus uiam semiuiui relictos sunt, et post hoc summas gratias egerunt Deo et ego honorificatus sum sub oculis eorum, et ex hac die cibum

habundanter habuerunt; etiam mel siluestre inuenerunt et mihi partem obtulerunt et unus ex illis dixit: 'Immolaticium est'; Deo gratias, exinde nihil gustauit.

20. Eadem uero nocte eram dormiens et fortiter temptauit me satanas, quod memor ero quamdiu fuero in hoc corpore, et cecidit super me ueluti saxum ingens et nihil membrorum meorum praeualens. Sed unde me uenit ignaro in spiritu ut Heliam uocarem? Et inter haec uidi in caelum solem oriri et dum clamarem 'Helia, Helia' uiribus meis, ecce splendor solis illius decedit super me et statim discussit a me omnem grauitudinem, et credo quod a Christo Domino meo subuentus sum et spiritus eius iam tunc clamabat pro me et spero quod sic erit in die pressurae meae, sicut in euangelio inquit: In illa die, Dominus testatur, non uos estis qui loquimini, sed spiritus Patris uestri qui loquitur in uobis.
21. Et iterum post annos multos adhuc capturam dedi. Ea nocte prima itaque mansi cum illis. Responsum autem diuinum audiui dicentem mihi: 'Duobus mensibus eris cum illis'. Quod ita factum est: nocte illa sexagesima liberauit me Dominus de manibus eorum.
22. Etiam in itinere praeuidit nobis cibum et ignem et siccitatem cotidie donec decimo die peruenimus homines. Sicut superius in sinuauit, uiginti et octo dies per desertum iter fecimus et ea nocte qua peruenimus homines de cibo uero nihil habuimus.
23. Et iterum post paucos annos in Britanniis eram cum parentibus meis, qui me ut filium susceperunt et ex fide rogauerunt me ut uel modo ego post tantas tribulationes quas ego pertuli nusquam ab illis discederem, et ibi scilicet uidi in uisu noctis uirum uenientem quasi de Hiberione, cui nomen Uictoricus, cum epistolis innumerabilibus, et dedit mihi unam ex his et legi principium epistolae continentem 'Uox Hiberionacum', et cum recitabam principium epistolae putabam ipso momento audire uocem ipsorum, qui erant iuxta siluam Uocluti quae est prope mare occidentale, et sic exclamauerunt quasi ex uno ore: 'Rogamus te, sancte puer, ut uenias et adhuc ambulas inter nos', et ualde compunctus sum corde et amplius non potui legere et sic expertus sum. Deo gratias, quia post plurimos annos praestitit illis Dominus secundum clamorem illorum.
24. Et alia nocte — nescio, Deus scit, utrum in me an iuxta me — uerbis peritissime, quos ego audiui et non potui intellegere, nisi ad postremum orationis sic effitatus est: 'Qui dedit animam suam pro te, ipse est qui loquitur in te', et sic expertus sum gaudibundus.
25. Et iterum uidi in me ipsum orantem et eram quasi intra corpus meum et audiui super me, hoc est super interiorem hominem, et ibi fortiter orabat gemitibus, et inter haec stupebam et ammira bam et cogitabam quis esset qui in me orabat, sed ad postremum orationis sic effitatus est ut sit Spiritus, et sic expertus sum et recordatus sum apostolo dicente: Spiritus adiuuat infirmitates orationis nostrae: nam quod oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quae uerbis exprimi non possunt; et iterum: Dominus aduocatus noster postulat pro nobis.

26. Et quando temptatus sum ab aliquantis senioribus meis, qui uenerunt, et peccata mea, contra laboriosum episcopatum meum, utique illo die fortiter impulsus sum ut caderem hic et in aeternum; sed Dominus pepercit proselito et peregrino propter nomen suum benigne et ualde mihi subuenit in hac conculcatione. Quod in labe et in obprobrium non male deueni! Deum oro ut non illis in peccatum reputetur.
27. Occasionem post annos triginta inuenerunt me aduersus uerbum quod confessus fueram antequam essem diaconus. Propter anxietatem maesto animo insinuaui amicissimo meo quae in pueritia mea una die gesseram, immo in una hora, quia necdum praeualebam. Nescio, Deus scit, si habebam tunc annos quindecim, et Deum uiuum non credebam, neque ex infantia mea, sed in morte et in incredulitate mansi donec ualde castigatus sum et in ueritate humiliatus sum a fame et nuditate, et cotidie.
28. Contra, Hiberione non sponte pergebam, donec prope deficiebam; sed hoc potius bene mihi fuit, qui ex hoc emendatus sum a Domino, et aptauit me ut hodie essem quod aliquando longe a me erat, ut ego curam haberem aut satagerem pro salute aliorum, quando autem tunc etiam de me ipso non cogitabam.
29. Igitur in illo die quo reprobatus sum a memoratis supradictis ad noctem illam uidi in uisu noctis scriptum erat contra faciem meam sine honore, et inter haec audiui responsum diuinum dicentem mihi: Male uidimus faciem designati nudato nomine, nec sic praedixit: Male uidisti, sed: Male uidimus, quasi sibi se iunxisset, sicut dixit: Qui uos tangit quasi qui tangit pupillam oculi mei.
30. Idcirco gratias ago ei qui me in omnibus confortauit, ut non me impediret a profectione quam statueram et de mea quoque opera quod a Christo Domino meo didiceram, sed magis ex eo sensi in me uirtutem non paruam et fides mea probata est coram Deo et hominibus.
31. Unde autem audenter dico non me reprehendit conscientia mea hic et in futurum: teste Deo habeo quia non sum mentitus in sermonibus quos ego retuli uobis.
32. Sed magis doleo pro amicissimo meo cur hoc meruimus audire tale responsum. Cui ego credidi etiam animam! Et comperi ab aliquantis fratribus ante defensionem illam (quod ego non interfui nec in Brittanniis eram nec a me oriebatur) ut et ille in mea absentia pulsaret pro me; etiam mihi ipse ore suo dixerat: 'Ecce dandus es tu ad gradum episcopatus', quod non eram dignus. Sed unde uenit illi postmodum ut coram cunctis, bonis et malis, et me publice dehonestaret quod ante sponte et laetus indulserat, et Dominus, qui maior omnibus est?
33. Satis dico. Sed tamen non debeo abscondere donum Dei quod largitus est nobis in terra captiuitatis meae, quia tunc fortiter inquisiui eum et ibi inueni illum et seruauit me ab omnibus iniquitatibus (sic credo) propter inhabitantem Spiritum eius, qui operatus est usque in hanc diem in me. Audenter rursus. Sed scit Deus, si mihi homo hoc effatus fuisset, forsitan tacuissem propter caritatem Christi.

34. Unde ergo indefessam gratiam ago Deo meo, qui me fidelem seruauit in die temptationis meae ita ut hodie confidenter offeram illi sacrificium ut hostiam uiuentem animam meam Christo Domino meo, qui me seruauit ab omnibus angustiis meis, ut et dicam: Quis ego sum, Domine, uel quae est uocatio mea, qui mihi tanta diuinitate cooperasti, ita ut hodie in gentibus constanter exaltarem et magnificarem nomen tuum ubicumque loco fuero, nec non in secundis sed etiam in pressuris, ut quicquid mihi euenerit siue bonum siue malum aequaliter debeo suscipere et Deo gratias semper agere, qui mihi ostendit ut indubitabilem eum sine fine crederem et qui me audierit ut ego inscius et in nouissimis diebus hoc opus tam pium et tam mirificum auderem adgredere, ita ut imitarem quippiam illos quos ante Dominus iam olim praedixerat praenuntiatiuros euangelium suum in testimonium omnibus gentibus ante finem mundi, quod ita ergo uidimus itaque suppletum est: ecce testes sumus quia euangelium praedicatum est usque ubi nemo ultra est.
35. Longum est autem totum per singula enarrare laborem meum uel per partes. Breuiter dicam qualiter piissimus Deus de seruitute saepe liberauit et de periculis duodecim qua periclitata est anima mea, praeter insidias multas et quae uerbis exprimere non ualeo. Nec iniuriam legentibus faciam; sed Deum auctorem habeo, qui nouit omnia etiam antequam fiant, ut me pauperulum pupillum ideo tamen responsum diuinum creber admonere.
36. Unde mihi haec sapientia, quae in me non erat, qui nec numerum dierum noueram neque Deum sapiebam? Unde mihi postmodum donum tam magnum tam salubre Deum agnoscere uel diligere, sed ut patriam et parentes amitterem?
37. Et munera multa mihi offerebantur cum fletu et lacrimis et offendi illos, nec non contra uotum aliquantis de senioribus meis, sed gubernante Deo nullo modo consensi neque adqueui illis — non mea gratia, sed Deus qui uincit in me et resistit illis omnibus, ut ego ueneram ad Hibernas gentes euangelium praedicare et ab incredulis contumelias perferre, ut audirem obprobrium peregrinationis meae, et persecutiones multas usque ad uincula et ut darem ingenuitatem meam pro utilitate aliorum et, si dignus fuero, promptus sum ut etiam animam meam incunctanter et libentissime pro nomine eius et ibi opto impendere eam usque ad mortem, si Dominus mihi indulgeret,
38. quia ualde debitor sum Deo, qui mihi tantam gratiam donauit ut populi multi per me in Deum renascerentur et postmodum consummarentur et ut clerici ubique illis ordinarentur ad plebem nuper uenientem ad credulitatem, quam sumpsit Dominus ab extremis terrae, sicut olim promiserat per prophetas suos: Ad te gentes uenient ab extremis terrae et dicent: sicut falsa comparauerunt patres nostri idola et non est in eis utilitas; et iterum: Posui te lumen in gentibus ut sis in salutem usque ad extremum terrae.
39. Et ibi uolo expectare promissum ipsius, qui utique numquam fallit, sicut in euangelio pollicetur: Uenient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraam et Isaac et Iacob, sicut credimus ab omni mundo uenturi sunt credentes.

40. Idcirco itaque oportet quidem bene et diligenter piscare, sicut Dominus praemonet et docet dicens: Uenite post me et faciam uos fieri piscatores hominum; et iterum dicit per prophetas: Ecce mitto piscatores et uenatores multos, dicit Deus, et cetera. Unde autem ualde oportebat retia nostra tendere, ita ut multitudo copiosa et turba Deo caperetur et ubique essent clerici qui baptizarent et exhortarent populum indigentem et desiderantem, sicut Dominus inquit in euangelio, ammonet et docet dicens: Euntes ergo nunc docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti docentes eos obseruare omnia quaecumque mandaui uobis: et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; et iterum dicit: Euntes ergo in mundum uniuersum praedicate euangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit; qui uero non crediderit condemnabitur; et iterum: Praedicabitur hoc euangelium regni in uniuerso mundo in testimonium omnibus gentibus et tunc ueniet finis; et item Dominus per prophetam praenuntiat inquit: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem et prophetabunt filii uestri et filiae uestrae et iuuenes uestri uisiones uidebunt et seniores uestri somnia somniabunt et quidem super seruos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo et prophetabunt; et in Osee dicit: Uocabo non plebem meam plebem meam et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam et erit in loco ubi dictum est: Non plebs mea uos, ibi uocabuntur filii Dei uiui.
41. Unde autem Hiberione qui numquam notitiam Dei habuerunt nisi idola et inmunda usque nunc semper coluerunt quomodo nuper facta est plebs Domini et filii Dei nuncupantur, filii Scottorum et filiae regulorum monachi et uirgines Christi esse uidentur?
42. Et etiam una benedicta Scotta genetiuia nobilis pulcherrima adulta erat, quam ego baptizaui; et post paucos dies una causa uenit ad nos, insinuauit nobis responsum accepisse a nuntio Dei et monuit eam ut esset uirgo Christi et ipsa Deo proximaret: Deo gratias, sexta ab hac die optime et audissime arripuit illud quod etiam omnes uirgines Dei ita hoc faciunt — non sponte patrum earum, sed et persecutiones patiuntur et impropria falsa a parentibus suis et nihilominus plus augetur numerus (et de genere nostro qui ibi nati sunt nescimus numerum eorum) praeter uiduas et continentes. Sed ex illis maxime laborant quae seruitio detinentur: usque ad terrores et minas assidue perferunt; sed Dominus gratiam dedit multis ex ancillis suis, nam etsi uetantur tamen fortiter imitantur.
43. Unde autem etsi uoluero amittere illas et ut pergens in Brittanniis — et libentissime paratus eram quasi ad patriam et parentes; non id solum sed etiam usque ad Gallias uisitare fratres et ut uiderem faciem sanctorum Domini mei: scit Deus quod ego ualde optabam, sed alligatus Spiritu, qui mihi protestatur si hoc fecero, ut futurum reum me esse designat et timeo perdere laborem quem inchoaui, et non ego sed Christus Dominus, qui me imperauit ut uenirem esse cum illis residuum aetatis meae, si Dominus uoluerit et custodierit me ab omni uia mala, ut non peccem coram illo;
44. spero autem hoc debueram, sed memet ipsum non credo quamdiu fuero in hoc corpore mortis, quia fortis est qui cotidie nititur subuertere me a fide et praeposita castitate religionis non fictae usque in finem uitae meae Christo Domino meo, sed caro inimica semper trahit ad mortem, id

est ad inlecebras inlicitate perficiendas; et scio ex parte quare uitam perfectam ego non egi sicut et ceteri credentes, sed confiteor Domino meo, et non erubesco in conspectu ipsius, quia non mentior, ex quo cognoui eum a iuuentute mea creuit in me amor Dei et timor ipsius, et usque nunc fauente Domino fidem seruauit.

45. Rideat autem et insultet qui uoluerit, ego non silebo neque abscondo signa et mirabilia quae mihi a Domino monstrata sunt ante multos annos quam fierent, quasi qui nouit omnia etiam ante tempora saecularia.
46. Unde autem debueram sine cessatione Deo gratias agere, qui saepe indulsit insipientiae meae negligentiae meae et de loco non in uno quoque ut non mihi uehementer irasceretur, qui adiutor datus sum et non cito adqueui secundum quod mihi ostensum fuerat et sicut Spiritus suggerebat, et misertus est mihi Dominus in milia milium, quia uidit in me quod paratus eram, sed quod mihi pro his nesciebam de statu meo quid facerem, quia multi hanc legationem prohibebant, etiam inter se ipsos pos tergum meum narrabant et dicebant: 'Iste quare se mittit in periculo inter hostes qui Deum non nouerunt?' — non ut causa malitiae, sed non sapiebat illis, sicut et ego ipse testor, intellegi propter rusticitatem meam — et non cito agnoui gratiam quae tunc erat in me; nunc mihi sapit quod ante debueram.
47. Nunc ergo simpliciter insinuaui fratribus et conseruis meis qui mihi crediderunt propter quod praedixi et praedico ad roborandam et confirmandam fidem uestram. Utinam ut et uos imitemini maiora et potiora faciatis! Hoc erit gloria mea, quia filius sapiens gloria patris est.
48. Uos scitis et Deus qualiter inter uos conuersatus sum a iuuentute mea in fide ueritatis et in sinceritate cordis. Etiam ad gentes illas inter quas habito, ego fidem illis praestauit et praestabo. Deus scit neminem illorum circumueni, nec cogito, propter Deum et ecclesiam ipsius, ne excitem illis et nobis omnibus persecutionem et ne per me blasphemaretur nomen Domini; quia scriptum est: Uae homini per quem nomen Domini blasphematur.
49. Nam etsi imperitus sum in omnibus tamen conatus sum quippiam seruare me etiam et fratribus Christianis et uirginibus Christi et mulieribus religiosis, quae mihi ultronea munuscula donabant et super altare iactabant ex ornamentis suis et iterum reddebam illis et aduersus me scandalizabantur cur hoc faciebam; sed ego propter spem perennitatis, ut me in omnibus caute propterea conseruarem, ita ut <non> me in aliquo titulo infideli caperent uel ministerium seruitutis meae nec etiam in minimo incredulis locum darem infamare siue detractare.
50. Forte autem quando baptizauit tot milia hominum sperauerim ab aliquo illorum uel dimidio scriptulae? Dicite mihi et reddam uobis. Aut quando ordinauit ubique Dominus clericos per modicitatem meam et ministerium gratis distribui illis, si poposci ab aliquo illorum uel pretium uel calciamenti mei, dicite aduersus me et reddam uobis.
51. Magis ego impendi pro uobis ut me caperent, et inter uos et ubique pergebam causa uestra in multis periculis etiam usque ad exteris partes, ubi nemo ultra erat et ubi numquam aliquis

peruenerat qui baptizaret aut clericos ordinaret aut populum consummaret: donante Domino diligenter et libentissime pro salute uestra omnia <...> generaui.

52. Interim praemia dabam regibus praeter quod dabam mercedem filiis ipsorum qui mecum ambulant, et nihilominus comprehenderunt me cum comitibus meis et illa die audissime cupiebant interficere me, sed tempus nondum uenerat, et omnia quaecumque nobiscum inuenerunt rapuerunt illud et me ipsum ferro uinxerunt, et quartodecimo die absoluit me Dominus de potestate eorum et quicquid nostrum fuit redditum est nobis propter Deum et necessarios amicos quos ante praeuidimus.
53. Uos autem experti estis quantum ego erogavi illis qui iudicabant per omnes regiones quos ego frequentius uisitabam. Censeo enim non minimum quam pretium quindecim hominum distribui illis, ita ut me fruamini et ego uobis semper fruar in Deum. Non me paenitet nec satis est mihi: adhuc impendo et superimpendam; potens est Dominus ut det mihi postmodum ut meipsum impendar pro animabus uestris.
54. Ecce testem Deum inuoco in animam meam quia non mentior: neque ut sit occasio adulationis uel auaritiae scripserim uobis neque ut honorem spero ab aliquo uestro; sufficit enim honor qui nondum uidetur sed corde creditur; fidelis autem qui promisit: numquam mentitur.
55. Sed uideo iam in praesenti saeculo me supra modum exaltatum a Domino, et non eram dignus neque talis ut hoc mihi praestaret, dum scio certissime quod mihi melius conuenit paupertas et calamitas quam diuitiae et diliciae (sed et Christus Dominus pauper fuit pro nobis, ego uero miser et infelix etsi opes uoluero iam non habeo), neque me ipsum iudico, quia cotidie spero aut internicionem aut circumueniri aut redigi in seruitutem siue occasio cuiuslibet; sed nihil horum uereor propter promissa caelorum, quia iactaui meipsum in manus Dei omnipotentis, qui ubique dominatur, sicut propheta dicit: lacta cogitatum tuum in Deum et ipse te enutriet.
56. Ecce nunc commendo animam meam fidelissimo Deo meo, pro quo legationem fungor in ignobilitate mea, sed quia personam non accipit et elegit me ad hoc officium ut unus essem de suis minimis minister.
57. Unde autem retribuam illi pro omnibus quae retribuit mihi. Sed quid dicam uel quid promittam Domino meo, quia nihil ualeo nisi ipse mihi dederit? Sed scrutator corda et renes quia satis et nimis cupio et paratus eram ut donaret mihi bibere calicem eius, sicut indulsit et ceteris amantibus se.
58. Quapropter non contingat mihi a Deo meo ut numquam amittam plebem suam quam adquisiuit in ultimis terrae. Oro Deum ut det mihi perseuerantiam et dignetur ut reddam illi testem fidelem usque ad transitum meum propter Deum meum,
59. et si aliquid boni umquam imitatus sum propter Deum meum, quem diligo, peto illi det mihi ut cum illis proselitibus et captiuis pro nomine suo effundam sanguinem meum, etsi ipsam etiam caream sepulturam aut miserissime cadauer per singula membra diuidatur canibus aut bestiis

asperis aut uolucres caeli comederent illud. Certissime reor, si mihi hoc incurrisset, lucratus sum animam cum corpore meo, quia sine ulla dubitatione in die illa resurgemus in claritate solis, hoc est in gloria Christilesu redemptoris nostri, quasi filii Dei uiui et coheredes Christi et conformes futuri imaginis ipsius; quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso regnaturi sumus.

60. Nam sol ipse quem uidemus <ipso> iubente propter nos cotidie oritur, sed numquam regnabit neque permanebit splendor eius, sed et omnes qui adorant eum in poenam miseri male deuenient; nos autem, qui credimus et adoramus solem uerum Christum, qui numquam interibit, neque qui fecerit uoluntatem ipsius, sed manebit in aeternum quomodo et Christus manet in aeternum, qui regnat cum Deo Patre omnipotente et cum Spiritu Sancto ante saecula et nunc et per omnia saecula saeculorum, Amen.
61. Ecce iterum iterumque breuiter exponam uerba confessionis meae. Testificor in ueritate et in exultatione cordis coram Deo et sanctis angelis eius quia numquam habui aliquam occasionem praeter euangelium et promissa illius ut umquam redirem ad gentem illam unde prius uix euaseram.
62. Sed precor credentibus et timentibus Deum, quicumque dignatus fuerit inspicere uel recipere hanc scripturam quam Patricius peccator indoctus scilicet Hiberione conscripsit, ut nemo umquam dicat quod mea ignorantia, si aliquid pusillum egi uel demonstraerim secundum Dei placitum, sed arbitramini et uerissime credatur quod donum Dei fuisset. Et haec est confessio mea antequam moriar.